



NVIDIT profectò Fortuna populo Romano integram, absolutamq; felicitatem. Nam cum bellis artibus, & reipublicæ administrandæ peritiâ, ea ciuitas omnibus omnino præstiterit nationibus, quæ vel antecesserunt, vel sequutæ sunt Romanum Imperium: deerat illi certè nihil ad cumulum virtutum omnium, nisi vt doctrinas, atq; literas excoleret: quarum iamdiu tamen gloriam ingeniosissima, ac desertissima Græcia cum scribendo, tum dicendo occupasse videbatur. Verum etsi serò Eloquentiam, Philosophiamq; attigerit: tantos tamen in vtraq; progressus fecit, vt multos Roma habuerit nobilissimos homines postremis temporibus, non solum Philosophiæ deditos, sed in ea iam excellentes atque perfectos. Eloquentia verò tantum in ea vrbe sibi paucissimis annis vindicauit, vt eloquentissimas Athenas vel æquarit, vel paruo illis proxima interuallo fuerit: id quod probare esset aut facile, aut necessarium, si præclarissima extarét illorum monumenta, qui plurimum dicendo potuerunt, Antoniorum scilicet, & Catonum, & Crassi, & Cæsarium, & Brutti, & aliorum propè innumerabilium: aut nisi vnus esset Cicero, quem omnibus aut præferre, aut comparare saltem, opponereq; valeamus. Itaque in Astrologia, in Geometria, in Dialecticis, omnibusq; ijs artibus, quæ in veri inuestigatione versantur, legimus dignum conatibus suis præstitisse Romanæ ingenia: sola autem Medicinæ ars, maximè salutaris, neglecta ab illis, inculta iacuit, ac derelicta: eam enim vnâ Græcarum artium non exercuisse Romanam grauitatem, testis est Plinius: quinimmo idem ipse scribit, Populum Romanum Medicinæ aui-

dum expertum demum dammasse: itaque caruisse medicis ad annum sexcentesium, quod voluisse eos credendum est non artis odio, sed artificum, idq; Marcus Cato ad Marcum filium scribens manifestissime docet. quod si aut Hippocratem habuisset Roma, cui civium suorum salutem commendaret, aut Galeni interpretis monumenta cognovisset: quemadmodum & in re militari, & in rebus ceteris aut superavit omnes alias nationes, aut illis proxima fuit, & interdum æqualis: verisimile est, in Medicina quoque excellentem futuram fuisse industriam suam. Hanc tamen partem vt ostenderet Cornelius Celsus non esse supra vires Romanas, eam eloquentissime & peritissime tractavit octo libris: in quibus non solum eius partis, quæ victu, & eius quæ medicamentis, sed illius etiã, quæ manu medetur, præcepta copiosissime dedit. A plerisq; autem dubitari video, an artem Cornelius exercuerit, alijs existimantibus caruisse illum usu: vel quia quædam prodidit artem coarguentia, qualia sunt, quæ de venarum pulsu, & vrinæ indicijs, ac de imparibus diebus, Asclepiadem sequutus, tradidit: vel quia in ponendis constituendisq; præceptis longissime abiit à consuetudine eorum, qui de re medica ante illum scripserunt, alijs verò credentibus, non potuisse eum tam multa, tamq; insigniter & articulatè novisse, tamq; postremo appositè ad usum, vt interdum multus sit in describenda via, & ratione exercendi artificis actus: nisi eam aliter quàm cogitando & audiendo, & legendo didicisset. Quamvis autem eorum, qui Cornelium fuisse medicum negant, & ratio, & autoritas me parum moueat: constat enim & Asclepiadem, & Themisonem eius discipulum, & Thesialum tam sæpe, tamque vehementer à Galeno damnatum, aberrasse à placitis & à doctrina maiorum, cum tamen omnes medicinam usu ipso professi fuerint: quamobrem mirum non est, si in tam errati-

ea disciplina, vixq; tandem autore Galeno consistente, idq; non tam certitudine rei, quam imbecillitate eorum, qui post Galenum fuerunt, libuit Cornelio modo ingenioq; suo potius, quam ex aliorum consuetudine scribenti, eorum mutare præcepta, quibus superiorum delere placita, & medendo & scribendo licuerat. Quamuis, inquam, me parum illi moueant: adducor tamen, nisi fallor, certissimis ad suspicandum argumentis, idem molitum fuisse Cornelium, quod Empedoclem, & Democritum fecisse legimus: scilicet, ut eam artem non veluti purus medicus, atque ad questum omnibus expositus, sed tanquam sapiens, ceu partem Philosophiæ explicaret, eam cum studio sapientiæ coniungens. Nam cum Plinius naturalis historiæ libros digesserit, indicans quibus autoribus, testibusq; niteretur: libro primo, quem indicis loco esse voluit, separatim autorum meminit & medicorum: neque vnquam retulit Cornelium in medicos, sed in autores: Ex autoribus, inquit, C. Valgio, Cornelio Celso, M. Varrone, &c. deinde subiicit externos: postremò numerat medicos, in quibus nusquam Cornelii nomen legitur. Quod si aut ille se medicum fuisset professus, aut alii in numerum medicorum Cornelium recepissent, Plinius illum certè non separasset in singulorum librorum indice à medicis. Constat præterea, vixisse Cornelium aut Augusti; aut Tiberii temporibus, aut C. Cæsaris: cum Columella, qui Claudio potiente rerum scripsit de re Rustica libros, mentionem fecerit eius, tanquam superioris: quæ ætate, si Plinio credimus, paucissimi Quiritum artem medicam profitebantur, delegata ea cura ac medicatione vel Græcis hominibus, vel libertis, aut seruis: quales fuerunt Sallustius, Dionysius, & Curio, & ij, quos supra nominaui: quamobrem occidenti medicum, quod plerunque serui essent, pœna erat ex constitutionibus non valde magna pecu-

nia: liberi enim hominis nulla est æstimatio. Cornelium verò fuisse ingenuum Romanum satis indicant tria nomina: cum liberos constet duobus, seruos autem vno tantum nomine fuisse demonstratos. Cæterum qualis qualis ille fuerit, dignus est profectò vel doctrina vel elegantia non solum qui legatur, sed qui semper habeatur in manibus. Quamuis autem ubiq; illum reprehendat Fabius Quintilianus: itaq; interdum leuiter, vt studio id cum efficere cognoscas & æmulatione (scripsit enim vterque Rhetoricos libros) tamen veritate ita cogente, eruditum virum eum appellat, lib. ix. & lib. sequenti: scripsit, inquit, non parum multa Cornelius Celsus, Scepticos sequutus, non sine cultu, ac nitore. Columella verò lib. i. de re rustica, eum fuisse tradit non solum agrolationis, sed vniuersæ naturæ prudentem. Cum Cornelius & ius ciuile, & philosophiam monumentis illustrauerit, suis & rei militaris, & rusticæ etiam & medicinæ præcepta reliquerit: dignus (vt ait idem Fabius) vel ipso proposito, vt eum scisse omnia illa credamus: quis erit qui se satis putet eruditum, cui ea, quæ supersunt, reliquæ vigiliarum tam elaboratarum ignotæ fuerint? Quædam tamen ab eo fateor esse prodita, quæ vel insolentia, vel nouitate deterere lectorem possunt: quale illud est, quòd de aqua frigida libro primo traditur: qua infusa, putat ille sanari posse infirmitatem capitis, & præterea vitari grauedines, ac destillationes: quibus intemperantia victus, & incontinentia voluptatum præcipuè ætas hæc nostra grauissimè torquetur. Cæterum si balneis nunc vteremus, vbi calida fordes mundarentur capitis, & sudor vapores iam itinere patefacto emitteret, itaque quotidie quasi caput purgaretur: non esset fortasse vsus aquæ frigidæ tam periculosus, quam vulgo creditur. Neque etiam ille simpliciter infundi frigidam iubet, sed calidarium proponit, in quo

fudetur: & calida aqua perfundi præcepit, tum tepida, deinde frigida. Plin. item lib. xxviii. capito llll. Perfundere, inquit, caput aqua calida ante balneorum vaporationem, & postea frigida, saluberrimum intelligitur. Quæ res profectò nisi esset valde salutaris, neque imperitè eam & imprudenter tum præcisè laudasset Cornelius: neque Plinius ita manifestè idem probaret: cum præsertim Senecam eo remedio semper vsum fuisse legamus: cuius rei certè rationem reddere possem à re medica non abhorrentem, si aut id mihi ab initio proposuissem, cum epistolam hanc scribere institui: aut esset hoc muneris partiumq; mearum. Illud equidem animaduerti, sequutum esse Cornelium in plerisq; Hippocratem, quem lib. vi. i. parentem omnis medicinæ appellat: quamobrem non potest hic noster Latinus Hippocrates reprehendi, quin alteri quoque idem vitii tribuatur. nam si dixerimus, nimis generaliter, & nulla reddita causa hunc frequenter præcepta dedisse medicinæ: cum eadem sit ratio atque via Hippocratis, interpretandus potius, & distinctionibus explicandus erat Cornelius, quàm improbandus, atque reiiciendus: id quod videmus in Hippocratem factum fuisse à Galeno, non tam, quàm isti sunt, delicato & moroso, certè tamen doctiore atque peritiore. ita enim didicissent medici, à Cornelio de rebus ad artem suam pertinentibus proprijs, suisq; Latinis vocibus loqui: & hunc grauissimum in primis autorem loco suo, suisq; sedibus posuissent: & postremo planum fecissent hominibus, non abhorrerè penitus à verò, quod à Cicerone scriptum fuit. Omnia Latinos inuenisse melius, quàm Græcos: aut ab illis accepta fecisse meliora. Sed inuidis (vt dixi) Fortuna cunctam Romanis hominibus felicitatem. Nos verò, qui aliquid nostra cura præstare posse fortasse credimur Cornelio, quòd eo iamdiu vtamur magistro scribendi, atque viuendi

(quamuis illi ignauia forte nostra non æquè stylum ac salutem debeamus) non nihil temporis consumpsimus in recognoscendo hoc eruditissimo autore, eumq; emendatissimum, quantum ipsi efficere potuimus, excudendum dedimus, vt tam culto, & tam nitido scriptore vti commodè possint omnes, quibus bonæ artes curæ sunt, & vt Medicis, quorum ætas nostra maximè ferax est, animum faciamus ad Cornelium legendum, interpretandum, illustrandum, ita enim futurum faciliè speramus, vt omnes paulatim planè Latinè de medicina loquentes audiamus, & aliquis apud nostros eam laudem consequi curet, quam apud Græcos consequutus est Galenus, cuius nisi labor & industria tantum luminis addidisset Hippocrati, is forte malo magno publico turpius extinctus fuisset, quàm iacet Cornelius, cuius laudi dignæ immortalitate si vitio ingenij Medici horum temporum, & posteriores inuidebunt, suos tamen nitor & elegancia, vel illis contrà nitentibus, eum à tenebris & ab interitu vindicabunt.